2
13
346-F-13.

IN FVNERE ILLVSTRISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI
MICHAELIS PERETTI
VENAFRI PRINCIPIS,
Numenti Marchionis, Celani, & Somaliæ Comitis
ORATIO
Habita à nobili Adoleſcente Io:Hieronymo Millero Hermano Vratiſlauienſi

In Templo Archiconfraternitatis Sacrorum Stigmatum S. Franciſci Octauo Idus Martias anno M. DC. XXXI.



ROMÆ, Apud Paulum Maſottum. 1631.

SVPERIORVM PERMISSV.


Digitized by Google

Digitized by Google

ILL.MO ATQVE EXC.MO
ABBATI, AC PRINCIPI
DOMINO
FRANCISCO
PERETTO.

Sodales Archiconfraternitatis sacrorum Stigmatum Sancti Francisci Salutem.





ODALITAS nostra, quæ (cum sacra sit beatissimis Francisci flāmei Patris vulneribus) iure dici potest vulnerata, recens hoc tempore vulnus accepit, & quidē peracerbum, Illustrissime Princeps, dum Michaëlem Perettum parentem tuum, suum cor importuno mortis telo confossum vidit. Accessit illicò ad fontem, & quidem vberrimum lacrymarum; nec tamen aut æstum leuauit, aut medicinam vulneri fecit; confugit itaque ad temporis diuturnitatem cicatrices obducere solitam,

eiq. dolorem ſuum in laudatrices huiuſce orationis notas,& caracteres extillatum curandum dedit. Dolore igitur Tempori oblato, TIBI laudes optimi Principis, quas eadem adumbrat oratio, meritò conſecrat, vt & earum iucunda memoria tuam lenias ægritudinem, & æmulatione magnanima viuam, ſpirantemq reddere pergas extincti Patris imaginē. Illas igitur quaſi paternæ virtutis monumenta, & noſtræ erga Patronum amantiſſimum obſeruantiæ argumenta eo legas vultu, quo vel infima quæque grata Tibi eſſe ſignificas, & noſtrum cœtum foueas, faueasq. in terris Franciſce, quem de Cœlo ſuis tuetur vulneribus Franciſcus. Vale.



ORA-

ORATIO.



GERET minus acerbè mors humanæ tranquillitatis inimicissima;si post lamentabiles casus, & luctuosa funera relinqueret subinde nobis spatium temporis aliquod à luctu vacuum, & à dolore seiunctum. Sed, ò grauissimam lethalis Imperij conditionem, quæ nos ad lacrymas non tam frequenter renouandas,quàm vbertim cōtinuandas assidua,& insigni optimorum Principum iactura compellit. Aspeximus aliquot ante annos maximo populi mœrore, publico pauperũ fletu,ciuium vberrima comploratione, totius Vrbis Romæ squallore, Alexandrum, & Andream,gemellum è Perètta familia sydus, par lumen purpuratæ maiestatis extinctum; nunc veteri nondum obducta cicatrice manantibus adhuc iustissimis lacrymis, ad ægritudinis cumulum, ne in luctuosa nocte quidquam iucundi splendoris interniteret, Michaëlem alterum eiusdem generis decus, ac lumen, importunè sublatum flebili recentis ne dicam, an potius recrudescentis doloris officio lamentamur. Sic honestissima propago,quæ in omnem aleam felix tergemino monte ad cœlum vsque consurgere videbatur, toties ruinam dedit peracerbam nō Iouis,sed mortis fatale fulmen experta. Ex ingentis prolapsione culminis moles ista quam amarissimo cum sensu doloris intuemur fabricata est magis ab extincti Principis virtutibus,quàm ab accensis vndiquè facibus speciosa. Ad huius lucem fulgentis Cenotaphij vt immortalis recordatione virtutis amissa consolari gaudia possimus, ereptum nobis florentissimum Principem in conspectum reuocare conabitur oratio mea ijs ipsis virtutibus animatum, quarum ipse anima fuit dum viueret, hoc est eximiè magnanimum, splendidè liberalem,præclaro studio pietatis illustrem.

Prima quidē in oculos incurrit æquitas illa mentis humano celsior fastigio, quam semper moderatissimus Princeps siue ridentem experiretur, siue toruo reluctantem vultu fortunam præ se tulit: tunc verò potissimum in illo legitima, & germana virtus deprehēsa fuit, cum vix natus ad clarissimam honorum lucem expositus, eā inconniuentibus oculis, non fulgore perstrictus, non pulchritudine captus felicitatis aspexit. Vidit magnum auunculum præeunte meritorum fama, remigāte gloria, aspirante fortuna, nobiliū plausu, sapientum iudicio, expectatione principum, omnium admurmuratione populorū, Romanæ Sedis ad portum felicissimè prouectū. Vidit inquam Sixtū Quintum è Romani principatus fastigio è Vaticano solio, tanquam è sanctiori cortina dantem oracula pro re-

 sponsis,

ſponſis, & vicaria Diuinitatis authoritate cæleſtia terris iura diſpenſantem. Vidit fratrem Latina redimitum purpura in Romano Cœlo, quaſi Auroram eo illuſtrius prȩfulgentem, quo Soli erat coniunctione propinquior. Vidit Andream conſanguineum tota geſtiente Vrbe in ampliſſimum purpuratorum Regum Senatum adlectum; Vidit vno verbo, ac tenuit eius felicitatis apicem quem alij ne quidem cogitatione contingunt. nec illum tantæ affinitates, non luculentæ domus commoda, non ſpecioſi munerum tituli, non aſſentantium honorum illecebræ, non ſuæ proſperitatis contemplatio, non apparatiſſimum fortunæ choragium vel è rectu ſtatu mentis deiecerunt, vel auguſto ſplendore faſcinarunt. eadem ſemper fuit animi moderatio, idem ſemper vultus, idem ſemper vitæ tenor; cum tamen ardua res ſit, & naturæ leges quodammodo ſupergreſſa, onuſtos ingenti fructuum pondere ramos non incurueſcere, & natiuæ felicitati ſuæ nequaquam ſuccumbere. Aſpexiſtis in ampliſſima fortuna modeſtiſſimum Principem, ſuſpicite nunc eumdem in humanarum rerum inconſtantia conſtantiſſimum. Spectauit non ita poſt maieſtatem illam diuinæ proximam, ad cuius pedes gentes venerabundæ deſiliebant, Atlantem illum cuius humeris impoſitus imminebat terrarum orbis mortis iniuria delapſum in terram, & conſternatum. Spectauit geminum familiæ ſuæ Solem oſtro Vaticano purpureum immaturo tempore atra mortis nube velatum: nec in tanta ſortis mutatione mutauit vnquam animum, ſed illum ſemper præbuit inconcuſſum, nullis labefactatum ærumnis, nullo depreſſum inimicæ fortunæ impetu, nullis mortis terroribus exanimatum. Nihil dicam de magnanima in Catholicum Regem obſeruantia cuius ipſe, & authoritatem ſequi, & nomen colere, & fouere ſtudia nunquam deſtitit florentibus equitum centurijs non ſemel ingenti ſumptu conſcriptis ad regium exercitum opportuno tempore roborandum. Venio nunc ad beneficentiam, concordiæ vinculum à latino Demoſthene, humanæ vitæ cõſeruatricem à Theophraſto dictam, appellatam à Pythagora virtutem diuinam, illam inquam beneuolentiæ teſſeram, amoris pretium, rapaciſſimam cordium illecebram, dotem qua non tam ipſe, quam ab ipſo alij præclarè dotati fuerunt. Teſtes appello Virgines quamplurimas quas ille dotali beneficentia ſua, vel humanas, vel diuinas ad nuptias ſplendidè adornauit: mœſtiſſimas obæratorum cateruas, quæ in miſerabili æris alieni freto fluctuantes ad eius aulam, tanquam ad portum liberalitatis perfugerunt: viduarum numerum peramplum, quas cum pudoris ac verecundiæ leges à petenda ſtipe retardarent, auro illexit ac decorauit: vos denique omnes teſtor, quos aureis beneficiorum catenis ſibi mancipauit

uit munificus Princeps, quos dum muneribus ornaret, suos thesauros existimabat cum Cyro, cum Alexandro suarum scrinia diuitiarum. Nullus vnquam externus Princeps vel pietatis, vel visendæ Vrbis gratia Romam aduenit, quin ab ipso magnificè, aut exceptus, aut condecoratus admiraretur prolixitatem hanc, & beneficentiam effusè prædicaret; vt propterea vel in ipsis deficientis mundi extremis oris à nostris regionibus longè disiunctis eius nomen clarissimum celebraretur. Quia tamen hæc magnificentia pulchrior enitescit si cũ pietate consocietur; hinc ipse peritorum artificũ de more qui aurum gemmis subnectunt, quò veluti aptissimo loculamento melius ingeniosæ oculorũ cupiditati satisfaciãt, virtutem hanc præclarissimam religioni, ac pietati subtexuit, & admirabili societate coniunxit. Hanc satis superque contestantur & iure lamentãtur nobili seueræ vitæ instituto præstabiles Capuccini patres, quibus ipse domicilium in Numentano oppido excitauit à fundamentis. Hanc lamentatur ex arctiori D. Francisci disciplina cœtus religione conspicuus cui sacrum condidit instruxitque cœnobium. Hanc defle trusticanorum hominum multitudo in eius agris ac latifundijs degens, ad quam præter certos ac perpetuos animarum pastores, singulis annis hebdomada sanctiori Sacerdotes complures allegabat, vt in animos mollitos iam lacrymis & expiatos frumentorum electorum, & vitæ germen inserent. Hanc demum deplorant ij omnes, qui rei familiaris angustijs, ac tenuitate depressi ab ipso locupletati fuerunt, qui ad eius aulam tamquam ad commune Vrbis ęrarium, & profugæ paupertatis Asylum aduolabant. Nimirum Sixti V. Pontificis maximi liberalitatem sibi proposuerat ad imitandum, cuius videbat vestigia non pressa leuiter ad breuis famam ętatis, sed fixa ad gratæ posteritatis memoriam sempiternam; cuius quot monumenta in Vrbe conspicua oculis relegebat, tot se exaudire putabat tacitè facunda hæreditariæ pietatis, & liberalitatis hortamenta. Hanc ipse tum beatissimi Auunculi, tum fratris laudatissimi largitatem in subleuanda inopum calamitate, in infelicium erigenda paupertate, in aliorum quauis ærumna laborãtium sterili atque exili fortuna fæcundanda æmulabatur. Hoc piæ libertatis in homines profusæ studio nobilior fuit ardor quo ad Deum, & eius integerrimam parentem insignibus donarijs excolendam rapiebatur. Huius in castissimam Cœli Reginam amoris, & cultus insigne reliquit in Lauretana domo monumentum; cum enim ædem illam, quę & diuinę in homines clementię, & humanę in Deũ, atque eius matrem liberalitatis pulcherrimum, & sanctissimum theatrum est; cum hãc inquam ædem adijsset eam opulentissimis sanè muneribus, & inter eius loci donaria eximiè conspicuis insigniuit. Quod equidem

17

Hæc Inſcriptio viſebatur in aditu inter ianuas.

34-6-F-13

D. O. M.

ET MEMORIÆ MICHAELIS PERETTI
VENAFRI PRINCIPIS
AEQVO HOC EST VERE ROMANO ANIMO
IN DEVM LIBERALITER PIO IN PAVPERES
HONESTISSIME PRODIGO
CVIVS IN AMPLISSIMO CORDE CVRIAM
ET REGIAM POSVERE PVLCHERRIMA
SODALITATE VIRTVTES OMNES
SODALITAS SACRORVM STIGMATVM
IMMORTALIBVS AVCTA BENEFICIIS
A PERETTA FAMILIA
OBSERVANTIAE NON INTERITVRAE
AVTHORAMENTVM.

Hæc legebatur in ſumma pegmatis parte ianuæ ſacræ ædis aduerſa.

CVI IVSTIS LACRYMIS IVSTA SOLVANTVR
QVICVMQVE SIES QVI PETIS
ET DISSECTI PECTORIS LAMENTABILEM
CAVSAM PERQVIRIS.
INVIDAE MORTIS ICTVM CONTEMPLARE
QVAM VNIVERSOS IN VNO PERETTO
PERDIDISSE PERSPICIES
SCILICET HABEBAT ROMA COR ORBIS
PRO CORDE PRINCIPEM



Hæc

Digitized by Google

Hæc inſcripta pegmatis baſi aram maximam reſpiciebat.

I FELIX ILLVSTRIS ANIMA
QVO TE VOCAT INCLYTA VIRTVS
QVO TE GENTILE SYDVS INVITAT
PATEBVNT ARCES SYDEREAE
AVRVM LIBERALITER PROFVSVM IN PAVPERES
ET IPSOS COELI VIGILES EXPVGNAT.

Hæc Iconographia Cenotaphij legebatur in porticu ſacræ ædis poſita ab Ignatio Leuera.

BENE VALEAS QVISQVIS MIHI BENE PRECARIS
HIC PARENTATVR MICHAELI PERETTO
PRINCIPI VENAFRI
NEC MORTEM IMMATVRAM ACCVSO
NON POTEST ACCIDERE MORS IMMATVRA
INNOCENTIAE
NVLLVS HIC ME TANGIT DOLOR
NISI MEAE DVLCISSIMAE ARCHICONFRATERNITATIS
DOLOR
QVAE MIHI HVNC TVMVLVM LACRYMANS
POSVIT
VT CASVM SVVM HAC PIETATE ALLEVARET.

VIXIT ANNOS LIII. MENSES V. DIES VIII.
ELATVS PVBLICO FVNERE.



EPI-

Digitized by Google

EPIGRAMMATA Eiusdem Ioannis Hieronymi Milleri Hermani,

Quæ legebantur in parietibus vestibuli sacræ ædis.

SEPVLCHRVM EXCELLENTISS. Principis in Exquilino Templo.



Rincipis exuuias animæ committere terræ
Quis furor? ab magnum lædere parce decus.
Humanum da munus humo: diuina supellex
Nonnisi cælesti contumulanda domo.
Fallor, an Exquilia referunt in imagine cœlum?
Principis exuuias aspice. Sydus erat.

Aliud.



Onderis exiguo tectus Leo magne sepulchro,
Et mole in parua contumulate iaces.
Cuius non fuerat magno par mundus honori
Ossibus extinctis perbreuis vrna fuit.
Ergo time, quisquis regnas; rapit atra Leones
Mors quoque regali sanguine tincta manus.

Sol alter munificentissimus in terris extitit.



Ar munus cum Sole tibi, mens prodiga, Princeps,
Par quoque virtutis cursus vtrique fuit.
Hic radijs terras, fama tu lumine lustras;
Hic campos ditat, pauperis ipse domos.
Cur modo iam nostris Sol aureus occidis oris?
Auguror vt surgas clarior inde polo.

DE

Digitized by Google

DE EIVSDEM PRINCIPIS liberalitate.



Vam bene munificus dispensat munera Princeps,
Et miseris largas sæpe ministrat opes.
Quin pene extinctos reuocat sub luminis oras,
Quamquam fames mortem præparat, ille fugat.
Inuida mors cernens animari clade peremptos,
Artificem vita sustulit illa nece.

In eandem liberalitatem.



Vm terra ingrata mortalia lumina condis,
Aurea sublimis surgis ad astra Leo.
Digna refert virtus hic præmia· prodigus auri
Dona dabas terris, munera lucis habes.

In funere eiusdem.



Nter mortales Michaëlem viuere morti
Dum fertur, violet ne sua iura timet.
Esse hominem credit dum cernit corporis artus,
Non hominem credit dum pia facta videt.
An sit homo vt tentet sibi vires aduocat omnes
Purpurea & vita stamina falce secat.
Sed mors deciperis. terrena parte relicta
Viuit adhuc alia nobiliore sui.



Nella

Nella morte del medesimo Signor Principe.

Sonetto del Signor Pier Francesco Paoli.



Sceso al Cielo il tuo germano altero
MICHELE, à cui seruia l'inuidia doma.
Restasti quì, perche il destin' seuero
Tutti non inuolasse i pregi à Roma.


Hor' che d'eterne glorie al mondo intero
Da te mostra fregiato il sen, la chioma,
Lieue ten' poggi, ou'ei poggiò primiero,
Deposta in vrna d'or' la mortal soma.

Chi può dir' quale amore arda la mente
D'ambo, s'ivi più cresce, ò più riluce
Per fraterna vnion' fiamma cocente?

Taccian' le fole homai; con vera luce
Hà Germani per voi (mà sempre ardente)
Il suo Castore il cielo, e il suo Polluce.

IL FINE.

Digitized by Google



Digitized by Google